

1. Apostolis; ac reſuatorii Apoſtoli à diffinitiva non magis habent momentum, cum adatur nihilominus Judex superior, qui inhibet revocari; attentata: Judex defertur omni appellationi à diffinitiva, nisi appellans fuerit manifeste contumax; aut talis sit casus, in quo non cadit de jure appellatio.

XXIX. In Curis & tribunalibus secularibus usus Apostolorum passim abſolutus est, uti observat Gadelinus De Jure noviss. lib. 4. c. 14. & pluribus citatis Christianus ad Bugnyonium lib. 1. c. 98. Quinimo teste Claudio Fleury in Institut. juris Eccles. parte 3. c. 23. ne quidem in Curis Ecclesiasticis illorum usus superest in Gallia: sed appellatio interponitur per actam, & introducitur per libellum, aut commissionem Metropolitanam, quæ supplet voces litterarum relevii. Verba auctoris sunt: On n'use plus, même en cour d'Eglise d'APOTRES, ou Lettres de renvoy que l'Appellant devoit obtenir du Juge A QUO: mais l'appel s'interiette par un acte, & se releve par requête. on par commission du Metropolitan, qui tiennent lieu de relief. Id est: Abſolutus est etiam in Curis Ecclesiasticis usus Apostolorum aut litterarum dimissionis, quas appellans impetrare debebat à JUDGE A QUO; verum provocatio interponitur per actam, ejusque persequenda professio fit per libellum, aut Mandatum Metropolitanum, quod hic vices subit diplomatis in eundem provocacionis.

Verisimile est, quod hæc praxis in valuerit in Curis Ecclesiasticis, postquam Edicto Regio anni 1667. ordinatum fuit, ut in tribunalibus Ecclesiasticis teneretur forma tribunalium Civilium.

XXX. Tempus introducendæ & finendæ appellationis hodie de jure communi est annus, vel ex causa biennium à die interpositæ appellationis. Auth EI QUI Cod. De Temporibus & reparat. appellationum; quæ relata est à Gratiano in Can. 4. Cas. 2. q. 6.

XXXI. Hic terminus etiam Jure Canonico præscriptus est Cap. 4. §. 5. De Appell. Et quidem in posteriori scribit Alexander III., quod si ante sententiam, vel postea fuerit appellatum, hujusmodi Appellantibus annus indulgetur, aut ex necessitate & evidenti causa biennium.

XXXII. Et in Clementina 3. eod. declaratur, quod sicut appellationem judicalem, sic & extrajudicalem intra annum à die interpositionis ipsius, vel à die illati gravaminis, ubi à futuro gravamine appellatur, prosequi & finire tenetur Appellans. Quod si justo cessante impedimento non fecerit, debet ejus appellatio deserta censeri.

XXXIII. Et hic quidem est terminus juris, quem ipse Judex a quo subinde abbreviare potest, juxta illud quod verbis supra relatis immediate subnectit Alexander III. Nisi forte Index à quo Appellatum fuerit, secundum locorum distantiam, & personarum, & negotii qualitatem recessus, tempus fuerit moderatus.

XXXIV. Terminus à JUDGE præfixus vocatur terminus hominis; declaraturque in Clem. 4. De Appellat. Quamdiu appellationis prosecutio per compromissum, vel aliis de Partium expresso consensu differtur: tempus ad prosecutionem eandem ab homine vel à JURE præfixum currene ne periculum imminere, præcipere in illa procedi.

XXXV. Hæc tempora vocantur fatalia appellationis, eò quod si hæc elabi sinantur, appellatio efficiatur deserta & quasi moriatur, seu fato quodammodo extingatur. Vide Wameſium ad Cap. 5. De Appellat. n. 2.

XXXVI. Obſervant autem communiter Pragmatici, hæc fatalia nostris & aliorum moribus in defuetudinem abiisse; præsertim quatenus præfigunt terminum finendæ appellationis. Sicut enim primæ instantiæ; postquam in causa conclusum est, perpetuæ sunt; ita & hodie appellationum instantiæ. Gadelinus lib. 4. De Jure noviss. c. 14. n. 30. & plures citati à Christiano in notis ad Bugnyonium lib. 1. c. 100.

XXXVII. Verum licet nec fatalia ad introducendam aut

prosequendam appellationem à JURE præscripta moribus ubiq; servantur, certa tamen singularum Curiarum institutionibus introducendæ & protequendæ appellationis fatalia sunt constituta, quæ si Appellans negligat, deserta censetur appellatio.

XXXVIII. In Ordinationibus Parlamenti Mechliniensis tit. De materia appellat. art. 2. dantur tres menses à die factæ appellationis ad introducendam appellationem sub pœna desertæ appellationis. Et contra lapsum dicti temporis non vult concedi relivium à Parlamento, nisi ex causa urgente fundata in JURE. Verba articuli sunt: Qui voudra appeller de sentence contre lui rendue dont est permis d'appeller, sera tenu de faire en dedans dix jours, selon la disposition du droit écrit. Et relever son appel, ensemble executer icelui & faire servir le jour en dedans trois mois du jour de l'appellation interposée, à peine de desertion. Et contre ledit temps ne sera ac cordé aucun relief par les Juges de notre grand Conseil, ne fut pour cause urgente fondée en droit. Id est: Qui à sententia adversus se lata, à qua provocare licitum fuerit, JUDICE superiore appellare intendit, juxta Juris scripti constitutionem, intra decem dies id facere obstringetur, interpositaq; provocacionis persecutionem profiteri, eademq; executioni mandare & instruere ad diem intra trimestre ab interposita appellatione sub pœna deserti vadimonii, quo tempore elapso non concedetur à magno nostro Consilio litteræ actionis restitutoriæ, nisi ob causam urgentem in JURE fundatam.

XXXIX. Ordinationes Curie Brabantie art. 83. concedunt dumtaxat viginti dies ad introducendam appellationem computandos à lapsu decem dierum, qui dati sunt ad appellandum sub pœna desertæ appellationis. Tenor articuli est: Sal gehouden zyn... binnen twintigh dagen naer de expiratie van de voornoemde thien dagen, oft dat voo'nisse tot synder kennisse ghekomen sal zyn syn brieve van appellatien releveren ende executeren, op de pene van desertien, ende dat die Recheers à quibus sullen moghen procederen tot executie van heuren vonnisse, al ofter niet af geappelleere en vware, vvaer tegen men niet en sal mogen releveren, ten vware om saecken van minoriteyt, sieckte, nootelyke absentie oft andere pregnante redenen den Hove daer toe movrende. Id est: Obstringetur intra diem viginti, post lapsum prædictorum decem dierum, aut ex quo sententia ipsi innotuerit, interpositæ provocacionis persecutionem profiteri, eamq; exequi sub pœna deserti vadimonii, quodque JUDICES à quibus sententiam latam executioni mandare possint, non secus ac si nulla esset interposita provocatio, adversus quæ restitutionem persequi non licebit, nisi ob rationes aut minoris ætatis, aut morbi, aut absentie necessitate, aut aliam demum causam urgentem, quæ Curiam permoveret.

XL. Quin in Curia Hannoniæ debet appellari inter decem dies & decem noctes à die intimatæ sententiæ, & prima die juridica introduci appellatio, modò inter diem juridicam & interjectam appellationem fuerit septem dies liberi idque sub multa sex florenorum, quæ mediante poterit & sequenti die juridica appellatio introduci. Verba artic. 443. Ordinationum dictæ Curie sunt: Lequel appel estant ainsi interjecté, devra estre relevé aux premiers plaids de nostre dite Cour en s'uyvans pourveu qu'il y ait sept jours francs depuis l'appel. Non ledit appellant en cherra en six florins d'amende au profit de l'Officier & Juge subalterne dont seroit appelle, & luy sera neantmoins encor permis de relever son dit appel aux seconds plaids apres qu'il l'aura interjecté, & si lors il demene encor defaillant de le faire, son appel sera déclaré pery & deserte, & ledit appellant condamne aux despens assien la moitié de l'amende du sol appel. Id est: Quam provocacionem sic interposita persequi oportebit primâ die juridicâ dictæ nostræ Curie subsequente, modò ab interposita appellatione septem dies liberi elapsi fuerint, aliàs provocans multâ incurret sex florenorum ad emolumentum Ministri & Judicis inferioris à quo provocaverit, licebitq; ei nihilominus sequenti die juridicâ appellationem interpositâ per-

persequisi autem & tum deficeret, declarabitur provocatio ejus irrita & deserta, provocansq; condemnabitur in sumptibus; insuperq; ut medietatem multæ ob inanem provocacionem persolvat.

Neque in Curis Ecclesiasticis Fatalia à JURE præscripta ubique servantur.

XLI. In Ordinationibus Curiarum Eccles. Provincie Mechlin. tit. 16. art. 1. statuitur, Et intra 30. à sententia petitis debitorum, tenebitur Appellans impetrare à JUDGE ad quem, citationem, seu litteras relivii, & illas exequi intra 20. dies à die ultimæ responsionis Apostolorum numerandos, nisi Judex respondens de Apostolis alium terminum præscriperit. Post illud tempus citari poterit ad docendum de facta diligentia, intra certum tempus Judicis arbitrio moderandum; eoq; lapsa & neglecta, appellatio declarabitur deserta, & procedetur per JUDICEM à quo ad executionem rei judicatæ.

XLII. Ordinationes Curie DD. Reſtoris & Conservatoris Privilegiorum hujus Universitatis art. 49. præscribunt, ut simul atq; appellatum est, præfigatur terminus Appellanti ad introducendam appellationem coram superiore JUDICE: scilicet ut non tantum interim Rescriptum impetretur, verum etiam & Pars sit citata, & Appellans interim ibi compareat; & interea cesset executio.

XLIII. In citatis Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum art. 3. decernitur insuper: Contra lapsum fatalium appellandi, & appellationem introducendi, & prosequendi, non poterit Judex ad quem restituere, nisi pars doceat per se non sterisse, seu aliam causam alleget, & probe non levem, sed in JURE legitimè fundatam.

XLIV. Ut autem Judex à quo ob desertam appellationem ad executionem sententiæ procedere queat, debet ipsa appellatio à JUDGE ad quem declarari deserta. Hæc declaratio ab Appellato petenda est: quia multæ excusationes proponi possunt, ob quas non fit deserta appellatio: ubi autem potest defensori competere, requiritur sententia declaratoria. CAP. CUM SECUNDUM De Hæreticis in VI.

XLV. Monet autem Rebuffus in Tractatu De Appellationibus art. 5. n. 28 in hac materia desertionis tria peti ab Actore. Primò, declarari appellationem desertam, eò quod non revelavit illam intra tempus præstitutum, vel non est eam prosecutus. Secundò, quòd decreta à JUDGE & statuta suum sortiantur plenum effectum. Tertiò, quòd Reus appellans condemnatur in expensas instantiæ desertionis.

Probatur autem desertio appellationis ex inspectione & collatione actorum; si nimirum ex his appareat, Appellantem intra præstitutum tempus appellationem non instituisse, aut prosecutum fuisse.

XLVI. Si Jus commune attendamus in l. 6. §. 1. & l. 37. Cod. De Appell. & l. 4. Cod. De temporibus appell. permittitur Appellantibus uti novis allegationibus, factâq; deducere quæ in prima instantia omisa fuerunt; idq; & moribus observari saltem in Curis subalternis aſſert Christianus ad Bugnyonium lib. 2. c. 127. Adde & Simonem A Groenevegen ad citatam Legem 4. ubi notat, quòd hæc Lex etiam hodie obtineat.

XLVII. In Curis supremis tamen, si appellatum sit à sententiis per scriptum instructis, ex iisdem actis judicandum est an bene, an male appellatum vel reformatum sit; ut ibidem monet A Groenevegen, & nominatim præscribitur art. 609. Ordin. Curie Brabantie; nisi sit obtenta licentia à Curia allegandi nova facta; quæ si obtenta fuerit, causâq; appellationis ex nova factis decisa sit, id ipsum in sententia exprimendum erit, juxta art. 613. dictarum Ordinat. His conformis est art. 4. §. 6. Ordinationum Curie Hannoniæ.

XLVIII. Edicto de ultima Junii 1495. mandatur; ut lites à quatuor primariis civitatibus sive Reformationem ad Concilium Provinciale Flandriæ devolutæ ex iisdem actis definiantur, an male vel bene judicatæ sint: sic tamen, ut acta transferantur debite clausa, sigillata, & presentibus procuratoribus Partium recognita; & Judices sententiam suam sic

latam defendant, Habetur Edictum parte I. Edict. Fland. lib. 1. Rubr. 6.

XLIX. Citata Ordinationes Curie Reſtoris & Conservatoris art. 5. statunt: Ut apud quinq; Judices judicetur ex iisdem actis, an bene vel male: Et non liceat nova facta allegare, vel non probata probare, nisi ex causa, & præſtito juramento, uti in prima instantia dictum, nimirum art. 14.

L. Ordinationes Curiarum Eccles. Provincie Mechliniensis sufficienter indicant tit. 16. art. 12. nova facta in Prior instantia non allegata, in causa appellationis posse allegari; nam volunt, ut, die serviente Appellans litteras relivii reproduret, & simul sine ulteriore dilatione Procurator de mandato docebit, & gravamina per articulos exhibebit, & simul ulterius allegabit, quæcumq; in priori instantia non allegaverit, quæ ad rem suam facere exitum habet.

LI. Vult autem Synodus Tridentina sess. 24. c. 20. De Reformatione, ut, si quis in casibus à JURE permisis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu aliàs ob lapsum biennii, ad alium judicem recurrit; teneatur acta omnia, coram Episcopo gesta, ad judicem appellationis expensis suis transferre, eodem tamen Episcopo prius admonito; ut, si quid ei pro causæ instructione videbitur, possit judicis appellationis significare. Quòd si appellatus compareat; cogatur tunc is quoq; actorum, quæ translata sunt, expensas proportionem suam; si illi uti voluerit, subire; nisi aliter ex loci consuetudine servetur, ut scilicet ad appellantem integrum hoc onus pertineat.

LII. Utq; Appellans in prosequenda sua appellatione, defectu actorum, non impediatur, Synodus adjungit: Porro ipsam actorum copia teneatur notarius, congrua mercede accepta, appellanti quantum citius, & ad minus intra mensem, exhibere. Qui notarius si in differenda exhibitione fraudem fecerit, ab officii administratione arbitrio Ordinarii suspendatur; & ad dupli pœnam, quanti ea lis fuerit inter appellantem & pauperes loci distribuendam, compellatur; Judex verò, si & ipse impedimenti hujus, conscius particeps fuerit, aliterve obstitit, ne appellanti integrè acta intra tempus traderentur; ad eandem dupli pœnam, prout supra, teneatur; non obstantibus, quoad omnia supra scripta, privilegii, indultis, concordii, quæ suos tantum teneant auctores, & aliis quibuscumq; consuetudinibus.

CAPUT III.

De Effectu appellationis.

- 1 Pendente appellatione nihil innovandum.
- 2 Idq; donec in causa appellationis fuerit pronuntiatum.
- 3 Hic effectus appellationis etiam Jure Canonico probatur.
- 4 Appellatione pendente innovatum à JUDGE à quo revocari debet per JUDICEM ad quem tamquam attentatū.
- 5 Id etiam obtinet in appellatione quantumvis frivolâ, si Judex à quo eidem detulerit.
- 6 Hic effectus non habetur, nisi appellatio JUDGE à quo, & Parti fuerit intimata.
- 7 Appellatio ab interlocutoria non habet hunc effectum ante inhibitionem JUDICIS ad quem.
- 8 Ratio differentie inter appellationem à definitivâ, & ab interlocutoria.
- 9 Post inhibitionem innovatum est cassatum, licet ratio inhibitionis vera non fuerit.
- 10 Attentata revocanda per JUDICEM ad quem.
- 11 Per appellationem Jurisdictionis JUDICIS non omnino tollitur; sed suspenditur.
- 12 Judex à quo potest vi retenta Jurisdictionis ordinare qua ad expeditionem appellationis conducunt.
- 13 Duplex appellationis effectus, devolutivus & suspensivus.
- 24 Effectus suspensivus nonnullis appellationibus nominatim subtractus.

- 15 Jure Decretalium in cauſis correctionis non datur appellatio cum effectu ſuſpenſivo.
- 16 Haec Decretales etiam locum habent in correctione Clericorum ſecularium.
- 17 A correctione legitima appellari non poſſe cum effectu ſuſpenſivo deſinit Conſilium Lateranenſe.
- 18 Conforme eſt Decretum Synodi Tridentinae.
- 19 Admittitur tamen appellatio cum effectu devolutivo.
- 20 Prædicta Decreta procedunt in quorumcumque Superiorum correctione.
- 21 Si Prælati exceſſerint formam correctionis, ab eorum Decretis poteſt appellari cum effectu ſuſpenſivo.
- 22 Dum a correctione appellatur, debet exprimi cauſa gravaminis & exceſſus.
- 23 Decretum contra Regulares temere ad Curiam Romanam appellantes.
- 24 A lata ſententia excommunicationis non appellatur cum effectu ſuſpenſivo.
- 25 Excommunicatus poteſt denunciari non obſtante appellatione.
- 26 Quare ab excommunicatione lata appellatio non datur cum effectu ſuſpenſivo?
- 27 Ab excommunicatione nondum abſolute inſiſta appellari poteſt cum effectu ſuſpenſivo.
- 28 Nonnulla ſunt tribunalia, à quorum ſententiis non appellatur quoad effectum ſuſpenſivum.
- 29 Quomodo hoc jure gaudeat ſententia quinque judicum hujus Univerſitatis, ſi ſit conformis ſententiæ D. Rectoris.
- 30 Sententia non excedentes ſummam 50. florenorum in Curia Eccleſiaſtica Provinciae Mechliniæ mandantur executioni non obſtante appellatione.
- 31 In cauſis officiis, de ſtationibus & ſimilibus privilegiatis non recipitur appellatio cum effectu ſuſpenſivo.
- 32 Neque in cauſa alimentorum.
- 33 Quid de cauſis Beneficialibus?

Regula ab omnibus uno conſenſu recepta eſt, pendente appellatione nihil poſſe innovari ſeu attentari; ſed omnia in eodem ſtatu, in quo erant tempore introducendæ, vel introductæ appellationis quamdiu de ea cognoscitur manere oportere, *L. unica ff. Nihil innovari appellatone interpoſita*, ubi ſcribitur, Appellatione interpoſita, ſive ea recepta ſit, ſive non, medio tempore nihil novari oportet: ſi quidem fuerit recepta appellatio, quia recepta eſt: ſi vero non eſt recepta, ne præjudicium fiat, quoad deliberetur utrum recipienda ſit appellatio, an non ſit.

II. Deinde additur §. 1. Recepta autem appellatione tamdiu nihil erit innovandum, quamdiu de appellatione fuerit pronuntiatum.

III. Hæc regula etiam Jure Canonico probata eſt; atque Pontifex ait in *Cap. 7. De Appellat. in VI.*, Non ſolum innovata poſt appellationem à definitiva ſententia interjecta debent ſèper (exceptis caſibus in quibus jura poſt ſententiam prohibent appellare) ante omnia per appellationis lumen penitus revocari: ſed etiam ea omnia quæ medio tempore inter ſententiam & appellationem (quæ poſtmodum intra decennium interponitur ab eadem) contingit innovari, ac ſi poſt appellationem eandem innovata fuiſſent.

IV. Itaque ſi poſt appellationem à definitiva quidquam innovaverit aut attēta verit Judex à quo, illud imprimis ſtatim & ante omnia per Iudicem appellationis remedio attentatorum revocari, irritari, ſeu caſſari debet. *C. 5. De Appell.*

V. Si Judex à quo appellationi quantumvis triviali detulerit, mox ab ulteriore cauſæ proſecutione deſiſtere tenetur; & ſi quid pendente appellatione innovaverit, tamquam attentatum erit revocandum. Rationem aſſignat Pontifex in *Cap. 5. De Appellat. in VI.* Quia Judex ipſe, quantum in ſe fuit, à ſe jurisdictionem abdicavit eandem, appellationi deſerens minus juſtæ, totius cauſæ deciſio in Superioris eſt potestate tranſuſa.

VI. Ut tamen attentata poſt appellationem interpoſita à definitiva revocentur, necelle eſt, appellationem fuiſſe inti-

matam Judici & Parti, nam aliàs Judex & Pars eam ignorantes poſſunt de jure procedere in cauſa, nec tunc per eos attentata revocantur, uti tradit Maranta *parte 6. act. 2.*

VII. Quin & ulterius declarat Pontifex in *Cap. 7. De Appellat. in VI.* quod illa, quæ poſt appellationem interpoſitam ante definitivam ſententiam innovantur, donec appellationis cauſam veram eſſe conſtiterit, renovari non debent; niſi Judex appellationis (poſtquam ſibi conſtiterit per appellationem emiſſam, ex cauſa probabili fore ad te negotium devolutum) inhibeat canonicè Judici (à quo appellatum exiit) ne procedat tunc enim quidquid poſt inhibitionem hujusmodi fuerit innovatum, eſt licet cauſa eadem non ſit vera) per eundem appellationis Iudicem ante omnia in ſtatum priſtinum redacendum.

VIII. Cum enim Judex à quo ante ſententiam definitivam non ſit funcio ſuo officio, maneatque adhuc Judex in cauſa principali poſt latam ſententiam interlocutoriam, hinc receptum apparet, quod per appellationem ab hac ſententia non claudantur ejus manus, nec proceſſus ulterior ſuſtatur, quousque per Iudicem appellationis, habità de veritate cauſæ appellationis ſummarià informatione, inhibitiō facta fuerit.

IX. Facta autem inhibitione, ſi quid innovatum fuerit, tamquam attentatum ante omnia in priſtinum ſtatum eſt reducendum; etiam ſi cauſa appellationis allegata non fuerit vera, ut dicit Pontifex in citato *Cap. 7. idq;* ad contemptum Judicis *Ad quem*, qui in cauſa appellationis reputatur Superior reſpectu Judicis à quo.

X. Attentata autem pendente appellatione revocanda ſunt per Iudicem ipſum appellationis, dicto *Cap. 7.* Hæc enim revocatio attentatorum, quæ ſit cum privilegio *ante omnia*, pars quædam eſt appellationi coherens; ut non ſit propterea conveniens, alium Iudicem de ea cognoscere; neque in cauſa ſunt continentia & coherentia, ſeparantur, & in plures Iudices diſſundantur. Accedit, quod cum per attentata lædatur juridiſctio Judicis *ad quem*, etiam ratio poſtulat, ut per illum ſolum prudenter illa corrigantur.

XI. Quamvis per appellationem à definitiva cauſa totaliter devolvatur ad Iudicem appellationis; non ideo tamen omninò tollitur juridiſctio Judicis à quo; ſed potiùs ſuſpenditur, eatenus ſcilicet, ut nihil queat in cauſa decernere aut facere, quod appellationi, aut appellati præjudicare poſſet; nequaquã verò ſuſpenditur juridiſctio quoad ea, quæ tendunt ad faciliorem, expeditioremque appellationis proſecutionem; circa quæ juridiſctionem ſuam adhuc retinet Iudex à quo, etiam poſt interpoſitam & receptam appellationem.

XII. Ex hac reſtata alicui juridiſctio proſiſcit, quod Iudex à quo provocatum eſt, compellere Appellantem queat, ut appellationem interpoſitam proſequatur, *Cap. 14. De Appellat.* deinde, ut Appellans intra certum tempus iter arripiat, ut provocato Iudici ſe exhibeat, item inhihere, ne lite pendente attentet; item ab excommunicatione abſolvere, ſi ab ipſo Appellans excommunicatus fuit; & plerique alia, quæ tendunt ad appellationis expeditionem, non etiam ad ulteriorem cauſæ cognitionem. Ita Wameſius ad *Cap. 15. De Appellat. n. 3.*

XIII. Ordinarius igitur appellationis effectus eſt, ſiſtere executionem ſententiæ Judicis à quo; omnemque ejus vim ſuſpendere, ac integram cauſæ cognitionem ad Iudicem ſuperiorem deferre. Itaque appellatio de ſe & ex natura ſua habet duplicem effectum, nimirum devolutivum & ſuſpenſivum, Priorem quidem in quantum appellatione mediante, cauſæ cognitio & deciſio devolvitur ad Iudicem appellationis. Poſteriore autem in quantum per appellationem ſuſpenditur effectus ſive executio ſententiæ à qua appellatum eſt.

XIV. Verùm quia hæc ſententiarum & decretorum ſuſpenſio occasione appellationis interjectæ frequenter plurima eſt; gra viſſima parit incommoda, viſum fuit, nonnullis appellationibus effectum hunc ſuſpenſivum nominatim adimere; ipſarumque ſententiarum aut Decretorum executionem permittere, non obſtante appellatione; quamvis etiam ab iſdem ſententiis appellatio quoad effectum devolutivum permittatur.

XV. Ita quidam Abbati Ordinis S. Benedicti reſcribit Alexander III. in *Cap. 3. De Appellat.* Si quando quilibet ſubditorum tuorum ad remedium appellationis convocatus fuerit, non ideo minus eum juxta tenorem mandati, quod in prædicta Regula (Sancti Benedicti) continetur, & institutionem Ordinis corrigas & caſtiges.

Rationem præmiſit: Quia remedium appellationis non ideo eſt inventum, ut alicui à religionis & ordinis obſervatione exorbitanti debeat in ſua nequitia patrocinium exhibere.

Et ruruſus in *Cap. 26. eod. ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III.* decernitur: Nec ſubjecti contra diſciplinam Eccleſiaſticam in vocem appellationis erumpant... Præcipue verò (ait Concilium) hoc in Religioſis volumus obſervari, ne Religioſi, cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi, contra regularem Prælati ſui & Capituli diſciplinam appellare præſumant, ſed humiliter ac devotè ſuſcipiant quod pro ſalute ſua fuerit eis injunctum.

XVI. Cæterum eſt hæc Decretales *nominatim* loquantur de Religioſis, inſpectâ tamen earum mente, vindicant ſibi locum etiam in aliis ſubortis, uti communiter tradunt Doctores, quos citat & ſequitur Proſper Fagnanus in *Cap. AD NOSTRAM De Appellat. num. 4.*

XVII. Hinc uno quali conſenſu poſt Gloſſam ad citatum *Cap. 3.* tradunt Doctores, à correctione legitima non appellari, ſaltem quoad effectum ſuſpenſivum.

Hæc regula evidentiùs probatur in *Cap. 13. De Officio Ordinarii ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III.* ubi generaliter pronuntiat: Ut correctionis & reformationis officium liberè valeant exercere, (Eccleſiarum Prælati) decernimus ut executionem ipſorum nulla conſuetudo vel appellatio valeat impedire.

XVIII. Hiſ aliſque Decretis in hærens Synodus Tridentina in variis Decretis declaravit, mentem ſuam eſſe, ut executio correctionis viâ appellationis nequaquam ſiſteretur. Et quidem *ſeſſ. 32. cap. 1. De Reformat.* cum decreviſſet, ut quæ alias à Summis Pontificibus, & à ſacris Conciliis de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrina retinenda, ac ſimul de luxu, commellationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus, nec non ſecularibus negotiis fugiendis copioſè ac ſalubriter ſancta ſunt, eadem in poſterum iſdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis, obſerventur, immediâtè Synodus ſubjungit: Nec appellatio executionem hæc, quæ ad motum correctionem pertinet, ſuſpendat.

Et ruruſus ſpeciali Decreto id inculcavit Synodus *ſeſſ. 24. cap. 10. De Reform.* cujus Decreti verba ſunt: Episcopopi, ut aptius, quem regunt, populum poſſint in officio, atque obedientia continere, in omnibus iis quæ ad viſitationem, ac motum correctionem ſubditorum ſuorum ſpectant, Jus & potestatem habeant etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi & exequendi, juxta Canonum Sanctiones, quæ illis ex prudentia ſua pro ſubditorum emendatione, ac diocæſis ſuæ utilitate neceſſaria videbuntur. Nec in his, ubi de viſitatione aut motum correctione agitur; exemptio, aut ulla inhibitiō, appellatio, ſeu querela, etiam ad Sedem Apoſtolicam, interpoſita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta aut judicata fuerint, quoquo modo impediat, aut ſuſpendat.

XIX. Appellationem in cauſa correctionis non admitti quoad effectum ſuſpenſivum latè clare exprimitur; at eam excludi quoad effectum devolutivum ex verbis Decretorum elici nequit: quin & conſulta S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum reſpondit, appellationem in cauſis correctionis eſſe permiſſam, ita tamen, ut non ſuſpendat executionem; ſive non habeat effectum ſuſpenſivum. Hæc; ratione conciliari poſſe ejuſdem Concilii Decretum *ſeſſ. 13. cap. 1. De Reform.* quo permittitur appellatio in cauſa correctionis poſt ſententiam definitivam, vel antea ſi gravamen ſit irreparabile. Vide Fagnanum loco citato *n. 6.* & ſequentibus, ubi & varias Congregationis Declarationes

Van Eſpen *Jur. Eccl. P. III.*

neſ reſert, quibus probatur Concilium Tridentinum non ſuſtulſiſſe appellationem in cauſa correctionis quoad effectum devolutivum; ſed tantum quoad effectum ſuſpenſivum: id eſt, cauſa correctionis poſſit quidem per appellationem ad Superiorem deferri, ut hic de correctione, an bene, an malè facta ſit, cognoscat; ſed executionem correctionis interim impedire nequeat, aut inhihere Superiori corrigenti, ne ad executionem illius progrediatur.

XX. Nec illud dumtaxat procedit in correctione Prælatorum Regularium aut Episcoporum reſpectu ſuorum Clericorum; ſed & omnium etiam Inferiorum, qui Jus corrigendi & puniendi, vel ex conſuetudine, indulto, aut privilegio obtinent; quemadmodum oſtendit Zypæus *Conſult. 3. De Accuſat.* occasione cujuſdam Clerici, qui Præſecto cæremoniarum in obeundis Divinis Officiis obedire juſſus, & ob contumaciam atque inſolentia verba, à Capitulo culpam agnoſcere, & ibidem deprecari juſſus, diſſugio appellationis ſe tueri volebat: de quo caſu reſolvit ibidem Zypæus, appellationem interjectam à Clerico non poſſe executionem ſiſtere, utpote in materia correctionis.

XXI. Concilium Lateranenſe in citato *Cap. 13.* declarans, correctionis aut reformationis executionem non poſſe per appellationem ſuſpendi, addit hæc exceptionem: *Niſi formam in talibus exceſſerint (Prælati) obſervandam.* Hinc communiter concludunt Canoniſtæ, appellationem etiam quoad effectum ſuſpenſivum admitti à Decretis in viſitatione Episcoporum, ſi judicialiter & formato proceſſu Episcopopus proceſſit ad punitionem alicujus: quia ſimilis proceſſus metas & formam correctionis excedit; & ita reſolvit S. Congregationem reſtat Fagnanus ad *Cap. 3. De Appellat. num. 24.* additque Pontificem factâ ſibi relatione, ſententiam Congregationis probaſſe; ut ſi Episcopopus judicialiter proceſſit ad definitivam, non comprehendatur hic caſus appellatione correctionis morum, & detur appellatio etiam ſuſpenſiva.

XXII. Videri quoque poteſt Salgado *De Protectione Regia parte 2. c. 15.* qui *nu. 70.* notandum monet, quod quando eſt appellatio permilla à correctione, ſeu viſitatione, puta, propter exceſſum (ut ſupra diximus) debet exprimi cauſa gravaminis, ſive agatur in iudicio, ſive extra iudicium, ſive ante ſententiam, ſive poſt ſententiam, Eſcacia in *Tract. De Appellat. quaſt. 17. limit. 36. n. 13.* Philip. Franch. in *Cap. AD NOSTRAM 3. ſub n. 3. & 4. De Appellat.* illam reddentes rationem; quia quando Jus teſtitur appellatiōni niſi in certo caſu ſpeciali, tunc Appellans debet illum exprimere caſum, ut ſic appareat, appellatum eſſe in caſu permillo, cui regula non reſiſtit.

XXIII. Contra Regulares ab ordinationibus & correctionibus ad Curiam Romanam temere appellantes, Decretum Congregationis Episcoporum & Regularium recitat Fagnanus ad *Cap. DE PRIORE De Appellat.* ibidem oſtendens, quam parum conveniat Regularibus, ad externa tribunalia appellare, & lites proſequi.

XXIV. Similiter appellatio à lata ſententia excommunicationis effectu ſuſpenſivo deſtituitur *Cap. 8. De Officio Ordinarii & Cap. 5. §. 1. De Appellat.* Et in *Cap. 20. De Sent. excommunicat. in 6.* declarat Pontifex: Sicut excommunicatione, ſic ab officio vel ab ingreſſu Eccleſiæ lata, ſuſpenſio aut ipſius effectus, per appellationem ſequentem minime ſuſpenduntur. Et in *Cap. 37. De Appellat.* ſcribit Lucius III, quod per appellationem nequeant declinare interdictum, cui ante appellationem eoſ conſtat fuiſſe ſuppeditos.

Ex his unanimi conſenſu tradunt Canoniſtæ, à ſententia excommunicationis alteriusve cenſuræ dari quidem appellationem quoad effectum devolutivum; ſed non quoad ſuſpenſivum; id eſt per appellationem non ſuſpendi executionem ſententiæ.

XXV. Quin & reſpondet Pontifex in citato *Cap. 53.* excommunicatum non obſtante appellatione poſſe denunciari; quin & proventus poſſe ſubtrahi. Nos itaque (ait) reſpondentes, quod cum executionem excommunicationis